

CAPVT III.

Error communis de Vatabléa
Bibliorum versione.

EX facto & præfatione Stephani natus est error, Franciscum Vatablum Biblia ex Hebreo vertisse; eiusque versionem Robertum Stephanum suam in editionem intulisse. Sed reuera res aliter se habet, vt fatebitur, quisquis attente præfationem Stephani legerit; nam scholia duntaxat à Vatablo accepit, vel se accepisse finxit; quibus nouam illam hoc est, Tigurinã translationem illustrare, & alicubi etiam emendare voluit: nec hanc translationem, quam suis Bibliis adiunxit Stephanus, aliam esse, quam versionem Tigurinam Leonis Iudæ, Bibliandri, & aliorum, intelliget is, qui vnum vel alterum folium Roberticæ editionis conferre volet cum prima editione Tigurina; quæ, vt supra dicebam, prodijt anno Christi 1543.

Deinde idem planum fit ex Chronologia Ecclesiasticopolitica Tom. 8. Chronici Chronicorum; vbi hæc commemorantur ex Thuano. *An-*